









DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE Vulgari, & Pupillari Substitutione.

QUAM,

Divinâ favente Clementiâ,

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. FRIDERICI SPANHEMII, Fil. S. S. Th. Doctoris, Ejusdemque Facultatis in Illustri Academiâ Lugd.-Bat. ut & Antiquitatis Ecclesiasticæ, Profess. Ordinarii, dignissimi, Ecclesiastæ disertissimi, & Acad. Bibliothecarii.

NEC-NON

Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis Iuridicæ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,


Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, & Privilegiis ritè, solenniter, & more majorum consequendis,

Publico examini subjiciet

JOANNES ADR. BEECKERTS à THIENEN, Lugd. Bat.

Die 30 ~~Decembris~~ Januarij, loco horâque solitis.





LUGDUNI BATAVORUM,
Apud Viduam & Hæredes JOANNIS ELZEVIRII, Academiæ Typograph. 168[illegible].

Reverendis admodum, & Spectatissimis

VIRIS,

D.D. CYPRIANO REGNERO AB OOSTERGA, J.C. & in Ultrajectinâ illustri Academiâ Cod. Professori primario, susceptori de se, studiisque suis quam optimè merito, Parentis loco ætatem colendo, venerando.

D.D. JOANNI FRIDERICO BÖCKELMANNO, J.U.D., ejusdemque facultatis in Academiâ Lugd. Bat. antecessori celeberrimo, ante biennium præceptori, nunc promotori de se meritissimo.

D.D. ANTHONIO MATTHÆO, J.U.D. hujusque in hâc almâ Academiâ facultatis Professori doctissimo, ante biennium quoque Juridicorum suorum studiorum fundatori, plurimum honorando.

D.D. CHRISTIANO MELDER, Phil. & Med. Doct. expertissimo, Matheseôs Professori ordinario, Academiæque à Secretis, fautori, & amico suo omni obsequio prosequendo.

NEC NON

Cæteris suis Mecænatibus,

Ex sincero animi affectu, non minus quam ex debito cultu,

Inauguralem hanc disputationem

submisse

D. D. C. Q.

Joannes Adrianus Beeckerts à Thienen,

Auctor.



PRÆLUDIUM.



uam diffusa, difficilis, & intricata sit Substitutionum materies, testis nobis est Raphaël Cumanus, qui ex ore Baldi audivisse dicitur, quod de eâ consulendo ultra 15000 *ducatorum fuerit consequutus. Spes licet illa mihi non affulgeat, ipsam hanc (respiciens eo, quod qui nunquam malè, nunquam benè) publicè pro gradu disputaturus dubitanter selegi, quam perquam rarò à J. U. Candidato elaboratam reor, aut tractatam, nam*

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Quo ipso fortè judicio meo nimis tribuisse videbor, ita ut Phædri fabula 22. lib. 4. de monte parturiente, *in me, haud ineptè, queat referri, & illud Horat.* de art. Poët. *mihi obstare posit præceptum:*

Sumite materiam, vestris quam creditis æquam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

& ejusdem isthoc:

Rem tentare pudor, quam vires ferre recusant.

Atque hoc modo in me experiar.

Magna petit *Phaëton*, & quæ non viribus istis
Conveniunt.

Nec non probè scio, hodie, proh dolor! more ita esse comparatum, ut, quamprimum aliquid in lucem prodit, ex quo aliqua laus, licet minima, promanare possit, ejusmodi homines existant, qui omnem detrahendi, obtrectandive locum sic arripiunt, ut ex alienâ ignominiâ sibi laudem, & gloriam, (quæ tamen non inde, sed à radice virtutis oritur, & ipsius lumine duntaxat illustratur) quærere, & comparare præsumant, nempe in aliorum

——— Vitiis tam cernunt acuti,
Quam aut Aquila, aut Serpens Epidaurius.

Sed: quis mihi dabit coquum, qui omnibus, & singulis sapidos apponat cibos? nec mirum hoc,

——— Etenim, nec *Iuppiter* ipse,
Seu pluat in terris, abstineatve, placet.

Satis itaque mihi persuasum habeo, multos hâc de meâ dissertatione, τυπωδῶς, crassâ, ac pingui Minervâ conscriptâ, sinistrè judicaturos, & facilè fateor, dum, tenuitatis meæ mihi optimè conscius, penitius vires meas tenellulas considero, earumque levitatem, exilitatemque trutino, meoque me modulo metior, mihi accidere, sicut illi apud Horat. Serm. lib. 1. Sat. 10. *ut*

Sæpe caput scaberet, vivos & roderet ungues.

Speratum tamen volo, nihilominus hoc meum conamen in meliorem partem non ironicè acceptum iri, dandum enim aliquid ætati, nec turpè est, non assequi, dum modò sequimur: ut scitè Sen. lib. 5. de Benef. cap. 5. *Iactâ ergo aleâ, id impleat voluntas, quod abnegat facultas.*

DISPU-

Q. F. F. Q. S.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

Vulgari, & Pupillari Substitutione.

THESIS I.



VAriatim Substitutionis usurpatur verbum, patetque latius ejus significatio, cumque sit genus homonymum, vix in genere, per unam generalem definitionem rectè, & commodè poterit explicari, propriè ea comprehendens, quæ subordinantur, sufficiuntur, & surrogantur; eo modo mihi videtur definire Zasius; quando inquit: *Substitutionem nihil aliud esse, quam sequenti loco factam subordinationem*: ita Substituuntur judices, ita procuratores, ita tutores. *l. pen. ff. jud. solv. l. 39. §. 11. ff. de Adm. Tut.* ita ab usufructuario Substituuntur arbores, *l. 18. l. 59. pr. ff. de Usufr. l. 45. §. pen. ff. de jur. Fisc.* §. 38. *Inst de R. D.* cum in locum demortuarum, vel infructuosarum reponuntur aliæ, *l. 14. pr. ff. de Imp. in res dot. fact.* similiter Substituuntur pecora, *l. 69. ff. de Usufr. l. 22. ff. de Leg. 1. d. §. 38. Inst. de R. D.* & si quæ similia.

II.

Nec non coarctatur ad ultimas voluntates, in quarum favorem, ne fierent irrita, & caduca testantium judicia, neve sine herede decedant, Substitutiones sunt introductæ, *l. un. pr. C. de Cad. Toll.* in quibus rursum eâ voce utuntur juris auctores non tantum, cum loquuntur de *directâ Substitutione heredis*, sed etiam, cum agunt de fideicommissis tum hereditatis, tum rerum singularum, *l. 41.*

 §. 3.

§. 3. ff. h. l. 57. §. 1. & 2. ff. ad Sct. Trebell. l. 6. C. de Inst. & Subst. l. 14. C. de Fideic. l. 64. l. 77. §. pen. l. 87. §. 2. ff. de Leg. 2. l. un. §. 7. in fin. C. de Cad. Toll. Vid. Donell. *6. comm. 23.* Vacun. 4. *declar. 61. n. 6.*

I I I.

Et hinc vulgo dividitur Substitutio in *directam*, & *fideicommissariam*: *Directa* est, per quam Substitutus directè, & immediatè capit testatoris hereditatem, non per interpositam personam, & fit verbis directis, qualia sunt. *heres esto, do, lego, sumito, capito, habeto*; quæ etiam civilia nominantur *l. 7. ff. h.* & imperativa *l. 15. C. de Testam.* itemque verba legatorum *l. ult. C. de Fals. caus. adj. leg. Fideicommissaria* vocatur, quæ alterius eget operâ, ubi per obliquum, seu manum alterius hereditas defuncti ad aliquem devolvitur, & fit verbis precariis, qualia sunt; *volo, peto, rogo, mando.* & similia, quæ alias inflexa dicuntur: *d. l. 15. C. de Test.* & precativa, itemque verba fideicommissaria. Ulp. *in fragm. t. 24.* Glossographi *ad l. 15. ff. h.* verba etiam communia esse dicunt, quæ ad utrumque significatum possunt adaptari, ut *Remaneat, pertineat, detineat, habeat, succedat, devolvatur, revertatur, deferatur, consequatur.* Schneidew.

I V.

Verum hæc impropriè dicitur Substitutio, propterea, quod per eam Substitutus non fiat verus heres, sed duntaxat loco heredis quodammodo habeatur. *§. 3. Inst. de Fideic. hered.* Unde Substitutus propriè loquendo à fideicommissario distinguitur, *l. 6. §. pen. ff. ad Trebell.* & *C. de Inst. & Subst. & Rest. sub cond. fact. in rubr.* Vid. omnino *§. 9. Inst. de Pup. Subst. l. 5. C. de Imp. & al. Subst.* exin in Substitutione non detrahitur, nec defalcatur quarta. Consule *D. Cypr. Regn. ab Oost. Vinn. Pac. Wesemb.* Ut, ut sit, *fideicommissaria Substitutio* non pertinet ad hunc locum, sed ad *d. tit. de fideic. hered.* Potest quoque Substitui in legatis *l. un. §. 7. in fin. C. de Cad. Toll. l. 6. C. de Legat. l. 50. pr. ff. de Leg. 2. l. 32. ff. de Leg. 3.* in mortis causa donationibus *d. l. un. §. 7. d. l. 50. pr. l. 10. ff. de Mort. caus. donat.*

V. Cum

V.

Cum igitur sit nomen generis, & speciei, in præsentiâ de *directâ Substitutione Heredis*, ne in multas hæc disputatio excresceret paginas, speciatim disserere decrevi. Ea, sic licet, definiatur: *Substitutio est secundi heredis institutio*, quæ fit post primam in locum deficientis, secund. Gloss. & DD. *sup. Rubr. ff. h. l. 1. l. 43. §. 2. in fin. ff. h.* Vel secundo, ulteriorive gradu facta Institutio, nam testator, quotcunque heredum gradus velit facere, potest, ita ut novissimo loco in subsidium servum necessarium instituere heredem liceat, *l. 36. pr. ff. h. pr. Inst. de Vulg. Subst.* Hos secundos, & tertios heredes veteres appellitarunt, propterea quod secundo, & tertio gradu instituti erant: Gradum heredis dicimus, ut cognatorum, quod remotior in locum propioris deficientis succedat.

VI.

Rectè hic ordo gradus appellatur, Donnell. 6. *comm.* 23. Atque gradus non ex numero personarum, nec ex ordine scripturæ, sed successionis sunt numerandi: *l. 2. §. 6. ff. h* Ideoque gradus non significat locum, ut *Accursius* putavit, cum inter gradum, & locum magna sit differentia, nam heres in testamento, aut primo, aut medio, aut novissimo loco rectè scribitur *l. 20. ff. de hered. Inst.* At heres non nisi primo gradu institui potest, *l. 1. pr. ff. h.* Ulpian. *in Fragm. tit. 22.* Idem enim est, sive testamentum, vel institutio in testamento ita concipiatur: *Cajus heres esto, Si Cajus heres non erit, Titius heres esto:* Sive ita: *Si Cajus heres non erit, Titius heres esto, Cajus heres esto*; Utroque casu *Cajus* est heres institutus in primo gradu, *Titius* in secundo, quamvis in priore casu *Cajus* primo, *Titius* secundo loco scripti sint heredes, in secundo autem casu loca sint inversa, quia primo loco scriptus est *Titius*, post *Cajus. l. 28. ff. de hered. Instit. l. 2. §. 5. & 6. ff. h.*

VII.

Dividitur *Substitutio* hæc rectè salvo aliorum judicio in *Vulgarem*

rem, & *Pupillarem*, ad quarum alterutram omnes formæ ſubſtituendi poſſunt referri: *l.* 1. *§.* 1. *ff. h. arg. Rubr. Inſt. & ff. eod. arg. l.* 8. *C. de Imp. Subſt.* ubi duarum tantum ſubſtitutionis ſpecierum fit mentio, *vulgaris*, & *pupillaris*, de cæteris altum eſt ſilentium. *Cujac. in d. l.* 8. *Borch. & Vult. pr. Inſt. de Vulg. Subſt. Vigl. Mynſ. Hotom. h. Gaj.* 2. *Inſt. t.* 4. Etenim, ſi genera Subſtitutionum à caſuum differentiis ſint diſtinguenda, poni plura, quam duo, minimè debent, ſicut nec plures ſunt caſus, in quos ſit Subſtitutio, quam hi duo, unus, ſi inſtitutus heres non erit, qui caſus primus dicitur, & eſt *vulgaris Subſtitutionis* conditio; alter, ſi heres erit, & intra pubertatem moriatur, qui ſecundus, & proprius *pupillaris l.* 4. *l.* 45 *ff. h. d. l.* 8. *C. de Imp. Subſt.* ut fuſius infra explicabimus, quamvis ferè omnes diſſentiant, & diſſimiliter Gomez. 1. *var. reſol.* 3. *pr.* ſex ſpecies ponit, aliter Duaren. *h. c.* 2. Soar. *in add. ad Gomez. c.* 3. *n.* 16. qui quatuor ponunt, quas recenſet Weſemb. *parat. h.* Verum tamen mens eadem perſtat indeflexa mihi,

Nec mea jam mutata loco ſententia cedit.

Aliis plures, aliis pauciores ſpecies ſtatuentibus D. D. communi calculo quinque tradunt: *Vulgarem*, *Pupillarem*, *Exemplarem*, *Breviloquam*, & *Compendioſam*.

VIII.

De *Vulgari*, & *Pupillari*, obiter, & quaſi in tranſitu explicatis *Exemplari*, *Breviloquâ*, & *Compendioſâ*, ſtatim dicemus. *Exemplarem* ſatis inſulſè, quæ etiam Juſtinianea appellatur, vocant *Subſtitutionem* mente capti: *Breviloquam*, cum heredes inſtituti invicem ſubſtituuntur, quæ etiam Reciproca dicitur *l.* 4. *§.* 1. *ff. h.* quaſi retroducta, repetita, reflexa, item mutua *l.* 64. *ff. de Leg.* 20. exemplum exſtat apud Suet. *in Tiber. cap. ult.* *Compendioſam*, quæ ſub hoc compendio, *quandocunque deceſſerit*, plures ſubſtitutiones complectitur, plures caſus, & tempora. Verum enim vero *ſubſtitutio* (ut ita loquar) *exemplaris*, *de quâ agitur §.* 1. *Inſt. de Pup. Subſt.* ἀναλόγως poteſt referri ad *Pupillarem*, & poteſt dici ſpecies *pupillaris Subſtitutionis* latius ſumptæ, commodioreque nomine appellatur *quaſi Pupillaris*: ut enim ſcribit Ariſt. 1. *Eth.* διαφέρει δ᾽ οὐδὲν νέος τὴν ἡλικίαν ἢ τὸ ἦθος νεαρός, *nihil refert, utrum quis ætate, an moribus puer ſit*: quomodo eâdem ratione quaſi

caſtren-

castrense peculium dicitur; quod ad castrensis peculii exemplum sit inventum, *l. fin. §. 1. C. de inoff. test.* sic etiam hypothecaria actio ad exemplum Servianæ introducta, non exemplaris appellatur, sed quasi Serviana: *§. 7. Instit. de act.* **Reciproca**, & **Compendiosa** non sunt tam Substitutionis species, quam substituendi formulæ, & modi.

IX.

Nec Militaris separata species est facienda, quâ miles ultra pubertatis annos pupillariter substituit. *arg. l. 15. ff. h.* quoniam privilegiata illa substituendi ratio non videtur constituere speciem singularem, licet Salicet. in *l. 8. gl. C. h. n. 17.* statuat, eam esse speciem substantificam, & per se distinctam. Nec hæc Substitutio valet jure directo, ut *Wesemb. ad h.* opinatur, sed ex causâ fideicommissi; textus est rotundus, & planissimus *in l. 8. C. de Imp. subst.* junct. *l. 15. l. 7. l. 14. ff. h* Fach. *l. 4. c. 43. & lib. 13. c. 75. controv. jur.* Etsi multi hanc opinionem respuant.

X.

Redeo ad divisionem in *Vulgarem*, & *Pupillarem*; *Vulgaris*, (sic dicta, quod vulgo, sive in vulgarem casum fiat) est, *quæ fit à quolibet testatore, cuilibet heredi in casum primum, quo heres non erit*: *l. 8. C. de Imp. subst. pr. Inst. de vulg. subst.* Salom. & Vigl. eam definiunt: *quæ à quocunque, de quocunque, & in quemcunque casum concipi potest.* Quibuscunque ergo personis vulgariter substituere permittitur, tam puberibus, quam impuberibus, tam liberis nostris: *pr. Inst. de Pup. subst.* quam extraneis: *t. t. Inst. de Vulg. subst.* imo & servis: *arg. l. 41. ff. de Hered. Inst.* Sed si testator servo alieno, quem patremf. errore ductus arbitrabatur, instituto alium substituerit, hereditas per semisses inter dominum servi, cujus jussu hereditas adita est, & substitutum æquis portionibus dividetur *§. 4. Inst. de Vulg. subst.* ubi dicitur, substitutum in partem admitti, sc. dimidiam, cum partes ἁπλῶς, & in dubio positæ intelligantur æquales: *l. 43. ff. de Vsufr. l. 164. §. 1. ff. de V. S.* alias Substitutus cum instituto non admittitur. *l. 3. ff. de Adq. vel omit. hered.*

XI.

Fitque verbis tam *Generalibus*, quam *Specialibus*. *Generalibus* ita: *Si Titius heres non erit, Sejus heres esto*, quæ omnem casum noluntatis, & impotentiæ complectuntur: fac. *l. 56. ff. Sol. Matrim. dos quemad. pet.* qui uterque exprimitur nominatim *in l. 3. C. de Hered. Inst.* & sic multis modis accidere potest, ut *Titius* heres non sit: *Specialibus* ita: *Si noluerit*, *Si non potuerit*: Duaren. *h. c.* 9. sub casu impotentiæ iterum sunt inferiores, & quasi species infimæ, Veluti, V. C. *si præmortuus sit, si deportatus sit.* Bach. ad Treutl. *vol. 2. disp. 11. Thes. 6. L. A.*

XII.

Utrum uno casu speciali expresso, *si noluerit*, *vel non potuerit*, alterum semper interpretatione sit supplendum?

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem.

Verum verior mihi negantium videtur opinio, *arg. l. 21. ff. h. arg. l. 10. ff. de Liber. & Posth. hered. arg. l. 1. §. 2. ff. de Procurat.* Duaren. *h. c.* 9. Clar. *d. §. q.* 76. *num.* 10. Mantica *de conject. ultim. volunt. l. 5. t. 1. num.* 3. & alii, quos commemorat Alex. Trentacinq. *de subst. Part. 1. c. 1. num.* 25. Quicquid repugnent Gomez. 1. *var. resol. 3. num.* 10. Bart. *num.* 13. Jas. *num.* 3. *& seqq.* Socin. Ripa *in l. 1. ff. h.* Marian. Socin. Jun. *in cons.* 176. *l.* 1. & cæteri, quos refert, & sequitur idem Alex. Trentacinq. *loco superius annotato.*

XIII.

Substitui heredes possunt, & plures uni, & unus pluribus, & singuli singulis, & plures pluribus: *§. 1. Inst. de vulg. subst. l. 36. §. 1. ff. eod.* Plures uni: *Quinctius heres esto, si Quinctius non erit, Sextius, & Septimius sunto.* Unus pluribus: *Octavius, & Nonius heredes sunto, si non erunt, Decius esto.* Singuli singulis: *Titius heres esto, si non erit, Mævius esto.* Plures pluribus: *Titius, & Mævius heredes sunto, si non erunt, Flavius, & Sejus sunto.* & servus homini libero, (ut supra dictum) & homo liber servo, *pr. & §. fin. Inst. de vulg. subst.* & denique inter se invicem, *d. §. 1. Inst.*

de

de vulg. subst. d. l. 36. §. 1. *ff. eod. l.* 37. §. 1. *ff. de Hered. Instit.* Ita: *Publius, Marcus, Gajus heredes sunto, invicemque substituti sunto,* quæ à Modestino *reciproca* vocatur *l.* 4. *ff. h.* vide sis *Thes. nostr.* 8. Et substitutus substituto est etiam substitutus instituto. §. 3. *Inst. de vulg. subst. l.* 27. *ff. h.* licet substitutus sit coheredi *d.* §. 3. *d. l.* 27.

XIV.

Illud obtinet, si ex disparibus partibus heredes scriptos testator invicem substituerit, nullâ in substitutione partium mentione habitâ, quod easdem videatur in substitutione partes dedisse, quas in institutione expressit: §. 2. *Inst. de vulg. subst. l.* 24. *l.* 41. §. 1. *ff. eod.* & ita *Divus Pius* rescripsit: *d.* §. 2. cujus constitutio exstat *in l.* 1. *C. de Imp. subst.* Finge itaque tres esse institutos heredes, unum ex unciâ, secundum ex besse, tertium ex quadrante, & hos sibi invicem substitutos, partem suam repudiante tertio, in novem quadrans dividetur partes, feretque octo secundus, ex besse institutus, reliquam partem primus, ex unciâ scriptus *d. l.* 24. *ff. h.* non est enim verosimile, pluris eos testatorem fecisse in substitutione, quam in institutione: & ita semper fit divisio, nisi voluntas defuncti refragetur evidens: *d. l.* 24. aut nominum expressio aliud suadeat, *arg. l.* 24. *& seq. ff. ad SCt. Treb: l.* 124. *ff. de leg.* 1. Quapropter Ulpian. in *d. l.* 24. utitur particulâ *Plerumque.* Vinn. *ad d.* §. 2. *Inst. num.* 1. *&* 2. Borch. *eod.*

XV.

Quæstio est non vulgaris, num *vulgaris substitutio* convalescat, si minor adiverit hereditatem, & beneficio ætatis in integrum adversus aditionem fuerit restitutus? Dixerim, substitutum admittendum esse: *arg. l.* 44. *ff. de Re Jud.* Siquidem necessum sit, ad excludendum vulgarem substitutum, hereditatem cum effectu esse aditam, omniaque, restitutione concessâ, in pristinum statum reponuntur. Quod significanter significat *l.* 24. §. 4. *ff. de minor.* Zas. *in tract. subst. c.* 1. Donn. 6. *Comm.* 24. Mynsing. *pr. Inst. de vulg. subst. num.* 10. Quæ opinio recepta est, &

pro certâ tradita, à Gloss. Cyn. Salicet. & aliis *in l. 5. C. de Impub. & al. subst.* Contrar. tuentur Cujac. *ad l. 7. §. 10. ff. de minor.* Duar. *in comment. ad t. h. ff. in c. de effect. vulg subst.* cui responsum solidum dat, ac subtile Ant. Fab. 3. *cons.* 4. quod videre est apud Fachin. *lib.* 4. *Controv. Jur. c.* 73.

XVI.

Filiofamilias, cui vulgaris datus est Substitutus, hereditatem invito patre repudiante, Utrum admittatur pater? Utrum Substituto locus sit? merito ambigitur: Ego Substituto iterum favorabilior sum, eumque præferendum esse, juri convenientius, & magis consentaneum, existimo: arg. *l.* 3. *C de Hered. Instit.* Vigl. *ad §.* 4. *Instit. de Vulg. Substit.* Salicet. *in l. ult. C. de bon. quæ liber.* Vinn. *ad §.* 4. *num.* 1. Donell. 6. *comm.* 24. Polit. *de Vulg. Substit. num.* 44. *& seqq.* Fachin. *lib.* 4. *controv. Iuris c.* 63. Ant. Fab. *Decis.* 33. *err.* 7. Actum agerem, si omnes *LL.*, & rationes, quibus nititur hæc opinio, adducerem, cum disertè, & dilucidè illæ apud Bachov. *in Treutl. vol.* 2. *disp.* 11. *thes.* 7. *lit. F.* inveniantur tractatæ. Non paucis sese nihilominus graviter opponunt, & neganti Duar. *in comm. ad tit. Instit. de Vulg. Substit. c.* 10. adstipulantur Bart. *in l.* 1. *ff. h.* Aretin. Socin. *ibidem.* Jas. *in l.* 3. *C. de Hered. Instit. num.* 12. Gloss. Cyn. Castr. Merend. 4. *contr.* 8. & Hunn. *l.* 2. *tract.* 6. *quæst.* 5.

XVII.

Disputant insigniter D. D. si filius, suus heres vulgarem acceperit Substitutum, anne hoc ipso ex necessario fiat voluntarius? Sunt, qui affirmant; sunt, qui negant: Affirmant, & ajunt Vigl. *ad §.* 1. *Instit. de Vulg. Substit. num.* 8. Pac. *Isag. ad tit. ff. de Cond. Instit. membr.* 10. Accurs. Bachov. *in Treutl. vol.* 2. *disput.* 12. *thes.* 3. *lit. B.* Vinn. *ad princ. Instit. de Vulg. Substit. num.* 5. & *in princ. de Pup. num.* 8. Negant, & pro contrario militant Anton. Fab. *decis.* 32. *err.* 6. & 7. Hunn. *lib.* 2. *tract.* 6. *quæst.* 15. quibus assencior, inque eorum sententiam adducor, per auctoritat. *l.* 44. *ff. de re jud.* in quâ proponit Scævola, *Pupill. sese*

bonis

bonis paternis abstinuisse, atqui verissimum est, neminem se hereditate abstinere, nisi suos, & necessarios, §. 5. *Instit. de hered. qual. & diff.* per auctoritat. *§. 2. Instit. eod.* ubi, qui suus vocatur, idem & necessarius dicitur: rationes reliquas, quas profert in medium Hunn. *ex l. 4. ff. h.* junct. *l. 4. ff. de acq. vel omit. hered.* & *l. 12. ff. h. ex l. 45. ff. h.* junct. *l. un.* §. 5. *C. de Cad. toll.* & *l. 8. C. de suis & leg. lib. &c.* depromptas, videas, licet, apud eundem *d. quæst.* 15.

XVIII.

Superest, ut breviter de *Pupillari Substitutione* loquamur, quæ ita est dicta, quod solis pupillis eâ substituatur, & *fit liberis impuberibus in potestate constitutis in casum secundum, si heredes extiterint, & antequam in suam tutelam venerint*, (id est intra pubertatem, quibus verbis plerumque addebant, *quod abominor*, exempl. est *in l. 85. ff. de Hered. Instit. in l. 41.* §. 8 *ff. h.*) *decesserint*: Quæ, ut valeat, liberos patriæ potestati subjectos esse, non tantummodo tempore paternæ mortis, ut putant Bart. Accurs. *in l. 2. ff. h.* & vulgo Interpp. Grass. *§. Substit. quæst. 25. num.* 5. sed etiam tempore institutionis, oportet: nam cum ad constitutionem alicujus actus qualitas aliqua requiritur, ea inesse debet eo tempore, quo actus geritur, *l. 49. §. 1. ff. de Hered. Instit.* §. 4. *Instit. de hered. qual. & diff.* & tritissimum est, *quod ab initio non consistit, illud tractu temporis non convalescere*: Confirmat etiam non parum sententiam nostram textus apertissimus *in l. 41. §. 2. ff. h.* in verbo *quoque*, & sic concludunt Jas. Polit. Zas. Govean. *in l. 2. ff. h.* Angel. Aretin. Vigl. *ad princ. Instit. de Pupill. Subst. num.* 7. & 8. Covarruv. *in c. Raynut. de testam. §. 5. num.* 2. Duar. *comm. ad h. t. c.* 14. Donn. 6. *comm.* 25. & 35. Hunn. *l. 2 tract. 6. quæst.* 11. & quamplures alii,

Quorum numerus numero vix clauditur ullo: Pal:

X I X.

Quibus ex jam dictis facile, & evidenter potest colligi, patrem non posse substituere emancipatis *l. 2. princ. ff. h.* sive natis ex concubinâ, sive adulterinis, sive spuriis, sive ex damnato coitu natis, & similibus, quia, hos in potestate patriâ non esse, nemo est, qui ignorat: nec etiam matrem, nam illam in suâ potestate liberos non habere, enucleati juris est: § 10. *Instit. de Adopt.* & §. 3. *Instit. de hered. qual. & differ.* nec avum maternum, ex eâdem ratione; Neque ad rem pertinet quod habetur *in l. 33. princ. ff. h.* quoniam tabulæ pupillares ibi à matre fieri dicuntur, non quia *pupillarem*, sed quia *vulgarem* pupillo factam *Substitutionem* continent: *Cujac.* putat pro *tabulis pupillaribus* legendum esse, *tabulis pugillaribus*, sed divinatoria hæc est responsio, rectius igitur (bonâ summi Jurisconsulti pace) prima resistentibus funditus satisfacere valet.

X X.

Verum rectè exheredatis pupillariter Substitui potest: §. 4. *Inst. de Pup. Subst. l. 1. §. 2. l. 47. ff. h.* in casu sc: singulari, quo pupilli pubertati proximi ingrati argui possunt, & doli, & injuriæ sunt capaces *l. 111. ff. de R. J.* Quod etiam aptè notat Bart. *in l. 2. ff. h. num.* 19. Quæ *Substitutio* exheredato facta emolumenta pupilli complectitur adventitia. Unde abunde liquet non ab institutione, sed à patriâ potestate dependere facultatem pupillis Substituendi, & ea provisionem futuri heredis continet, non onera, quæ aliis non sunt imponenda, quam iis, quos honoravit defunctus, & tantum pro modo relicti: *l. 41. §. 3. ff. h. l. 1. §. 6. ff. de Leg. 3. l. 9. C. de Fideic.* proinde pater à filio exheredato legare, aut fideicommissum relinquere minimè potis est, *d. §. 3.* Vinn. *ad d. §. 4. Inst. num. 1.* & 3. Nec tantum natis, sed & posthumis parens ita substituit, *d. §. 4. l. 2. pr. ff. h.* exemplum est *in l. 46. ff. eod.* & quidem olim tam exheredatis quoque, quam institutis; Ex Novella vero Justiniani lege, eo quod ingrati probari non possint, aut causa exheredationis testamento inseri, neque posthumi, neque infantes amplius sunt exheredandi. *Auth. non licet*, ib. DD. C. *de*

de liber. præt. Item Nepotibus, cæteriſque deſcendentibus datur Subſtitutus, ſi modo proximum in familiâ teſtatoris gradum obtineant, alias recaſuris in poteſtatem patris ſui, ex formulâ L. Vellejæ. *l. 2. pr. ff. h. l. 29. §. 3. ff. de Liber. & Poſth. hered.* ut ita teſtetur avus: *Filius meus heres eſto, ſi filius meus me vivo moriatur, nepos heres eſto, & ſi nepos heres non erit, Lucius heres eſto.*

XXI.

Atque cum eſſet honorificum impuberibus, heredem habere teſtamentarium, judicio patris datum, & perquam utile, quia vita pupilli agnatorum inſidiis, auri ſacrâ fame laborantium, non eſt expoſita, quamdiu, quis ſucceſſurus ignoratur, in gratiam, & favorem ipſorum impuberum hæc *Subſtitutio* eſt adinventa, & quia pro ſalute liberorum erant ſolliciti *l. 77. §. 24. ff. de Leg. 2.* teſtaturi parentes cavere ſolebant, ne vivo, & impubere filio tabulæ pupillares aperirentur, ut declarat *§. 3. Inſtit. h.* nam ut Theòph. οὐδεὶς ἀκερδῶς ἐπιβουλεύσει τῷ πουπίλλῳ: *Nemo ſine lucro pupillo inſidiabitur.*

XXII.

Quo in *d. §. 3. Inſtit.* Imperator dat conſilium parenti formidoloſo: quod ſi ſequatur, liberi ſine periculo vivere poterunt. Etenim, (quod abominor)

Inter mortales regnant fraudeſque, dolique,
Et nulla eſt pietas, pectoribuſque fides.

Nota eſt *Mileſia*: cujus pro *Cluentio Tullius* meminit, quæ, acceptâ à Subſtituto pecuniâ, partum ſuum medicamentis abegit, necavitque: *l. 39. ff. de pœn.* hinc illud Perſianum, *Sat. 2.*

— Pupillumve utinam! quem proximus heres
Impello; expungam.

Notus ſceleratus iſte tutor cruci olim affixus à *Sergio Galbâ*, quod pupillum, cui ſubſtitutus erat, veneno ſuſtuliſſet: Suet. *in Galbâ c. 9.* Cætera exempla, ut ad diſputationem minimè pertinentia, apud Vinn. & alios *ad d. §.* exſtantia (ne ſim polyloquides) ſilentio prætereunda, præteribo.

XXIII. Di-

X X I I I.

Dicit Imperator noster *§. 2. Inst. h.* In *pupillari Substitutione* duo quodammodo esse testamenta, alterum patris, alterum filii, quo intuitu illud testamentum, in quo pupillariter filio pater substituit, duplex dicitur à Gajo JCto in *l. 79. ff. ad leg. Falcid.* & ab Ulpiano in *l. 1. §. 1. ff. Si cui pl. quam per l. Falcid.* Quia nimirum ipse filius sibi heredem quasi facit: substitutus enim pupillariter ipsi filio fit heres, non patri; quia pater scripturâ sibi testamentum condere potest, filio nuncupatione, & contra, *§. 1. l. 20. ff. h.* Ob ea, quæ proponuntur in *l. Iulian. 42. ff. de Adquir. vel Omitt. hered.*; quæ in *l. 2. §. 1. ff. h.* & *in l. 11.* §. 1. *ff. ad Trebell.*; quæ *in l. 8. ff. Testam. quemad. aper.*; quæ *in l. 16. §. 1. ff. h.* Videas prorsus, si vacat, Vinn. ad *d. §. 2. Inst.* Vel unum testamentum duarum caussarum, i. e., hereditatum *d. §. l. 2. §. 4. d. l. 20. ff. h. l. 28. ff. de reb. auct. jud. possid.* ideo videlicet, quod unum duntaxat auctorem habeat; quod in patris, & filii tabulis una Falcidia servetur *l. 11. §. 5. ff. ad l. Falcid.*; quod septem testes, & totidem sufficiant signa. *d l. 20. princ. ff. h.* Cætera apud Vinn. *eod.* §. & Hotomann. Mihi arridet; ut, quemadmodum codicilli pars sunt testamenti, ita pupillare testamentum testamenti paterni sequela, & principalium tabularum appendicula esse videatur. *l. pen. ff. testam. quemadmod. aper.*

X X I V.

Quæ cum ita sint, neminem liberis suis posse Substituere, nisi sibi primo heredem instituerit, in comperto est. *§. 5. Inst. h.* Sine heredis enim institutione nihil in testamento scriptum valet. *§. 3. l. 1. ff. h.* Neque convertendus est scripturæ ordo, ut rectè putat Julian. *l. 2. §. 4. & §. ultim. ff. h.* Contr. Govean. *l. 1. var. lect.* 8. nisi tamen *Substitutioni* conjunctim adhæreat institutio. *d. l. 2. §. 5. ff. h.* nam in his, quæ eodem tempore, ac contextu fiunt, magis attenditur testatoris voluntas, & nullus in conjunctionibus est ordo. *l. 14. ff. de Pecul. leg.* arg. *l. 28. ff. de Hered. Instit.* DD., hanc sententiam communem approbantes, videre licet apud Vinn. *ad d.* §. 5. *Instit.*

num.

num. 1. Cum ergo tabulæ secundæ non suis, sed principalis testamenti nitantur viribus, illæ, rupto principali, evanescunt. *l.* 2. *pr. ff. h.* Fac. *l.* 129. *§.* 1. *l.* 178. *ff. de R. I.* Hodiè nihilominus durabunt tabulæ pupillares, licet testamentum patris sit nullum ex causâ præteritionis, aut per querelam expugnatum, quemadmodum cætera, præter institutionem, salva manent. *Nov.* 115. *c.* 13. *in fin. Auth. ex causa, C. de liber. præter.*

X X V.

Substituitur Impuberi *specialiter*, vel *nominatim*, aut *generaliter*. *§.* 7. *Instit. de Pup. Substit. Nominatim* ita: *Titius filius meus heres esto, si heres non erit, vel impubes morietur; Cajus heres esto. Generaliter*, si pluribus heredibus institutis testator substituat ita: *Quisquis mihi heres erit, idem filio meo impuberi, intra pubertatis annos morienti, heres esto. l.* 3. *l.* 8. *§.* 1. *l.* 10. *ff. h. l. ult. C. de Imp. & al. Subst.* quæ substitutio generalis conditionalis est: *d. l.* 8. *pr.* & ideo ex eâ tantum vocantur ii, qui nominatim scripti sunt heredes, & patri directo heredes extiterunt, non ii, qui patris hereditatem per successionem, per consequentiam, aut per alium amplectuntur; itaque nec heredis heres, nec is, cui per fideicommissum hereditas restituta est, nec pater, qui per filium, nec dominus, qui per servum heres factus est, ad substitutionem admittetur: *dd. l.* 3. & *l.* 8. *§.* 1. *ff. h.* & pro quâ parte quisque heres est, ex eâdem intelligitur substitutus: *d. §.* 7. *Inst. h. l.* 5. *l.* 8. §. 1. *in fin. ff. eod.* ita ut hic quoque locum habeat regula, quæ *in §.* 2. *Inst. de Vulg. Subst.* traditur, de quâ *supr. Thes.* 14.

XXVI.

Sub *vulgari* casu expresso tacitum contineri *pupillarem*, liquidum, & certum esse, nullus dubito: E. G. Pater impuberi filio instituto heredi substituit ita: *Si filius meus heres non erit, Sempronius heres esto*: sic, inquam, in primum casum substitutus *Sempronius*, etiam in secundum casum acquisitæ hereditatis, & mortis, antequam in suam tutelam venerit impubes, substitutus censetur: *l.* 4. *pr. ff. h.* nisi tamen testatoris voluntas apertè, & mani-

festè sit contraria: *d. l. 4. §. 2. ff. h. l. 4. l. 8. C. de Imp. & al. Subst.* quæ omnimodè servanda: *arg. dd. ll.* Percurr. *Gloss. ad d. l. 4.* Ant. Fabr. Vigl. *ad pr. Inst. de Pup. Subst. n. 19.* Wesemb. *ibid. n. 1.* Hotomann. Vinn. *ad d. pr. eod. n. 5.* & *ad h. t. in jurispr. contr.* Tuning. *ad d. pr.* Treutl. *Select. disp. vol. 2. disp. 11. th. 8. lit. F. & ibid.* Bach.

XXVII.

At, an vice versâ, expresso *pupillari* tacitus *vulgaris* insit, agitata fuit nobilissima quæstio, satis equidem anceps, & ambigua, inter jurisperitorum eloquentissimum *Crassum*, & eloquentium jurisperitissimum *Scævolam*, quâ in extricandâ mirum in modum sese torserunt Interpp. Ego maximè maximorum virorum perpendens argumenta, & judicium meum qualecunque interponens *Craßi* affirmantis à partibus sto, qui latè, & copiosè suam sententiam judicio centumvirali defendit, probavitque, Cic. *pro Cæcinn.* Moveor per *l. 4. in pr.* & *§. 2. ff. h.* D. D. communissimè *h.* & *ibid.* Alciat. Hotomann. *in fin. §. 5. Inst. de Pup. Subst.* Vinn. *ad id. pr. Inst. num. 6.* Hunn. *lib. 2. tract. 6. quæst. 7.* Treutl. & Bach. *d. super. lit. F.* dubitante Curt. *in l. 8. C. de Imp. Subst.* ut refert Covarruv. Expressè divortium facientibus Polit. *quæst. 8. num. 39. ad pr. Inst. de Pup. Subst.* Vigl. *eod. num. 19.* & prolixè Ant. Fab. *dec. 32. Err. 9.* & 10.

XXVIII.

Hinc σαφῶς, & patenter patet, utramque substitutionem distingui in *expressam*, & *tacitam*: quæ sit *expressa*, & *tacita vulgaris*, quæ *expressa*, & *tacita pupillaris*, affatim explicat Schneid. *ad tit. Inst. de vulg. subst. num. 9.* & *ad tit. de Pup. subst. num. 4.* ut nostro non sit opus labore, præsertim cum res nullam habeat difficultatem, & quodammodo ex præcedentibus possit cognosci. Sed videamus, anne *expressa pupillaris substitutio* heredes omnes legitimos, & etiam matrem à successione filii defuncti excludat? quod planè est affirmandum, *l. 8. §. 5. ff. de inoff. testam. l. 9. C. de Imp. subst.* Vinn. *ad pr. Inst. h. num. 10.* Bronch. *cent. 3. assert. 34.* Quin & eâdem mater quoque quoad legitimam removeatur, non est dubium,

bium, quod jure Cæsareo *d. l. 8. §. 5. ff. de inoff. test.* & Pontificio *c. 1. de Testam. l. 6.* satis, superque cautum est. Barth. *ad d. l. 8. §. 5. ff. de inoff.* Gomez. *1. var. resol. 4. num. 7.* Vinn. *ad d. pr. num. 11.* Fach. *l. 4. cont. 42.* Ubi D. D. quorundam distinctiones, sententiarumque diversitates docet: Imo tacitam locum habere, licet mater in medio existat, puto verius, quod perspicuè à sensu contrario confirmatur per *l. 2. C. de Imp. & al. subst.* Fac. *l. 4. eod.* & *l. 45. ff. d. t.* Vigl. *ad pr. Inst. de Pup. subst. num 16.* & *17.* Salicet. Donn. *in l. 8. num. 5. C. h. t.* Vinn. *ad d. pr. num. 12.* Nobis nihilominus litem movent, ac serio in contrarium disputant Gomez. *1. var. resol. 4. num. 8.* Covarr. Cujac. *lib. 12. observ. 27. in fin.* Fachin. *lib. 4. contr. 40.* & *41.* quæ capita inspectione perquam digna sunt.

XXIX.

Sicuti *vulgaris substitutio*, aditâ per institutum hereditate, exspirat: *l. 5. C. de Imp. subst.* ita *pupillarem substitutionem* pubertate evanescere certo certius est: *§. 8. Inst. de pup. subs.* & ita evanescere, ut ne quidem post illud tempus in fideicommissum flectatur: *l. 7. ff. h. l. 14. eod. d. §. 8. Inst. de Pup. subst.* Accurs. tamen *exempl. Gloss. h.* Mant. *7. de conject. ult. volunt. t. 3. num. 9.* Gomez. *1. resol. 7. num. 2.* Christ. *vol. 4. decis. 16. num. 5.* & comm. D. D. vehementer negant; sed satius est, cum unâ lege aliquid statuere, & ferrum rationis, quam auctoritatis plumbum in pretio habere, quam cum 100 DD. opinionibus in pejus ruere, nec desunt, qui affirmativam veram esse contendunt, ut sunt Cujac. *11. observ. 25.* Govean. *in d. l. 7.* Paul. Bus. *ad l. 15. ff. h.* Ant. Fab. *15. conj. 12.* & *14.* Vinn. *ad d. §. 8. Inst.* Hunn. *lib. 4. tract. 6. quæst. 13.* Fach. *l. 4. contr. 44.* Alciat. *l. 1. parad. c. 5.* testatur, hanc quæstionem olim usque adeo difficilem fuisse existimatam, ut Carol. Ruin. in auditorio eam reliquerit indissolutam.

XXX.

Quandoquidem Instituti ratio non patitur, ut singula accuratè exequar, me latius non diffundam, tanta est enim hujus materiæ altitudo, & in eâ subtilitatum infinitas, secund. *Jas. supr.*

 rubr.

rubr. ff. h. ut compendiariâ exhauriri disputatione nequeat. Absolvo igitur juxta illud,

Si finis bonus est, totum laudabile tunc est.

quasi ἐπίμετρον, subjiciens quæstionem plus satis, ni fallor, difficilem, utrum nempe nudâ sui heredis existentiâ tabulæ pupillares confirmentur? affirmaverim cum Huber. *ad tit. Inst. de Pup. subst. num.* 3. & Hunn. *lib.* 2. *tract.* 6. *quæst.* 16. propter *l.* 12. *ff. h. l.* 28. *ff. de reb. auct. jud. poss. l.* 42. *ff. de adq. vel omit. hered. l.* 44. *ff. de re jud.* Fac. *l.* 30. *§.* 10. *ff. de Fideic. libert.* &c. Qui se plenius hâc de materiâ, affinibusque quæstionibus informatos optant, ad *Fachin. Christ. Salic. Sichard. Fab. Hunn. Treutl. Bach. Vinn.* aliosque relego.

XXXI. Vel (*si mavis*) Epilogus.

Hæc sunt tandem, Benevole lector, quæ specialiter de *directâ substitutione heredis* concinnavi generaliter, quid ego enim hic

— Complecterer omnia verbis
Materiâ vires exsuperante meas?

Ignosce, quæso officiose, & enixim, forsitan crescentibus annis, meliora, bono cum Deo, & ampliora daturo, si quid minus feliciter composuerim, dum haud nescius es

Sæpe graves, magnosque viros, famâque verendos
Errare.

& quidem graviter, potissimè circa *hh. ff.* C. & *Inst. titulos:* ne hæc ergo mea, quantulacunque, Zoili more, invido, & viperino dente carpas, nam, licet magnis fortassis exciderim ausis,

Quæ potui, feci, quod si quis plura requirat,
Consulat ingenio qui meliore valent.

Interea

Nil mihi nasuti noceant, tu livor abesto,
Et tua fac melius, si potes, Invidia.

FINIS.

SENSIM.

Hono-

Honori, ac Meritis

D. JOANNIS ADRIANI BEECKERTS à THIENEN, A. F.

Materiam Substitutionum pro gradu magnâ cum laude defendentis.

Fortes creantur fortibus.

Nunc optata dies aderit, quo carmine nostro
Possem virtutes accumulare tuas.
Magna paras, præclara paras defendere, vinces
Subtili ingenii nobilitate tui.
Felix auspicium primò recludere fontes
Difficiles, parvis invigilasse parum est.
Conscendes Cathedram magnâ cum laude, stupescet
Tota cohors linguæ verba diserta tuæ.
Patris ad exemplum vinces, præconia cujus
Non possem metris concelebrare meis,
Et Musæ cupiunt proprium te sumere alummum,
Cernentes animi singula gesta tui,
Et Patres spes magna fovet, doctamque Juventam,
Spectantes studii pignora vera tui.
Proxima, Cara patris soboles vestigia magni
Preme solers, vitæ sit tibi norma tuæ.
Nunc mea Musa fugit, nec possum dicere plus, quam
O gentilitiis nobile stemma tuis!

In gratæ mentis pignus cecini

W. S.

Ad Ornatissimum Iuvenem,

D. JOANNEM ADRIANUM BEECKERTS à THIENEN, A. F.

Præclarè disputantem.

QUi Patris egregii vestigia passibus æquis
Et sequeris justo jura, Themimque pede;
Accipe, (qui justo te prosequor omnis amore,
Et totus lætor laudis honore tuæ.)
Quale tuis addam cœptis felicibus omen,
Publica dum ingenii das documenta tui:
Accipe legitimos applausus, accipe veros,
Verbaque, defensis legibus, ista lege:
Magna exempla sequi magni tu perge parentis,
Nec tua sit patrio sanguine fama minor.

Amicus Amico.

Op

Op den ſelve.

SOON

Van de noch gemiſt werdende ADRIAEN.

Ad Auguſta per Anguſta.

S*oo ſiet men, juychende*, van Thienens *Stam herbloeyen*,
Ick wenſch:dat Soons *verſtant tot* Vaders *toe mach groeyen*,
(Die voor ſijn droeve dood heeft honderden geleert,
En door ſijn Study van een yder was begeert)
Dat Godt u zegene, en langh wil laten leven,
Dat gy meucht raed, en daed, aen VVeeuw, en VVeeſen geven;
Vaert wel dan, en leeft langh, op dat men oock eens mach
U *ſoo uytſteeckent ſien, als men u* Vader *plach*.

T. M.

Defuncti quondam Auditor.